



Observationes philosophicae inaugurales

<https://hdl.handle.net/1874/295313>

16

OBSERVATIONES PHILOSOPHICAE
INAUGURALES,

Q U A S

FAVENTE DEO O. M.

Ex Auditoritate MAGNIFICI RECTORIS

ALEXANDRI PETRI NAHUYS

A. L. M. Phil. & Med. Doct. Medicinæ, Botanices,
Chemiæ & Physiologiæ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, et Nobis-
simæ FACULTATIS PHILOSOPHICAE decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

& Magisterii, summisque in Philosophia & Artibus
Liberalibus honoribus & Privilegiis rite ac
legitime consequendis,

Eruditorum Examini Submittit

J A C O B . W A L R A V E N ,
R A N D O V I C O - G E L R U S .

Ad diem x. Octobris MDCCCLXXX. H. L. Q. S.

TRAIECTI AD RHENUM,

Ex officina ABRAHAMI VAN PADDENBURG ,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI, MDCCCLXXX.

OSSE RAVANIS MITHOPOHAE
IN AEGYPTI ALLES

ALEXANDRI TIANUS

PRO CEREBRA DEDICAT

ALLEGORICO A

ALLEGORICO A

ALLEGORICO A



OBSERVATIONES PHILOSOPHICAE
INAUGURALES.



um nimia in scribendo festinatio nocere semper solet, ac privatae rationes me ad Lauream Doctoralem citius quam putaveram capessendam impellunt; dissertationem, quam vocant inauguralem, publici juris facere nolui. Ad quam rationem etiam altera haec accessit, quod post duarum dissertationum editionem, nihil sit quod tertiam exhibere aut suadeat aut jubeat. Itaque, quoniam ex more tamen recepto aliquid futuro

A

Doctori

OBSERVATIONES PHILOSOPHICAE

Doctori publice est proponendum, quod Philosophicae disciplinae quasi specimen sit, age L. B. has accipe paragraphos, solo hoc consilio scriptas.

§. I.

Quoties cogitando immensum pervagor omnis Philosophiae campum, ejusque ambitum circumspicio, toties mirari soleo, recentiorem hanc nostram Philosophiam, licet ab antiquiori illa, quae *divinarum atque humanarum rerum notitia* definiebatur, toto coelo diversam, a plerisque tamen, vel eadem fere definitione circumscribi, vel minus accurate definiri. Varias quidem habemus, cum a BACONE, tum ab aliis instauratas scientiarum partitiones, in quibus Historiam praesertim, & Poësin a Philosophia distinguant: sunt praeterea, qui eandem tripartito distribuant, scientiam de Deo, de Natura, & de Homine; invenio denique, qui plures partes enumerent. Verum quamcunque tandem optemus definitionem, & nemo hac nostra aetate recte dicetur Philosophus, & nullis in scholis philosophicis ea tractari omnia intelligemus, quae disciplinae definitione continentur. Anteiorum igitur desideramus, cui Philosophus intelligendo vel docendo respondere possit, definitionem, nisi vel soli Philosopho plus

INAUGURALES.

3

plus profiteri pollicerique, quam praestare, liceat, vel ex quorundam voto, singularum disciplinarum (facultates dicere solent) tandem aliquando migrantur, quos dudum constitutos habemus limites.

§ I I.

Uti omnis hominum cognitio proficiscitur a sensibus, ita, quae ex naturali constitutione, atque ex lege communi sensibus offeruntur, & constanter apparent, revera adesse dicenda sunt. Ex quo sequitur omnino omnis certae disciplinae fundamentum positum esse in ipsa rerum natura. Unde recte BACO, eam esse dixit causam & radicem omnium malorum in scientiis, *quod dum Mentis humanae vires falso miramur & extollimus, vera ejus auxilia non quaeramus.*

§ I I I.

Dum cogitatio ejusque conscientia CARTESIO duce, nobis maximum praebeat argumentum, quo nos adesse intelligamus, quaeritur merito quid sit cogitare, aut quid sit illud quod cogitet? Utrum corpus an aliquid a corpore diversum?

A 2

Si

OBSERVATIONES PHILOSOPHICAE

Si autem compositam substantiam cum cogitationis atque conscientiae sensu comparamus, si maximam observamus differentiam inter voluntatem, caeterasque hujusmodi proprietates nostras & naturam corpoream; simplex profecto harum conceptus docere videtur, eas in ente composito, quatenus consideratur tanquam compositum, inesse non posse, ut concludendum videatur omnino adesse ens simplex, eo ipso a materia diversum, eo ipso partium dissolutioni non obnoxium; etiamsi rationem, qua hoc ens cum corpore sit connexum ignoremus, nec certius quidquam de futura ejus statim post corporis dissolutionem conditione statuere possimus.

§ I V.

Quamvis perobscurae nobis sint idearum conjunctio atque consecutio, assidua tamen observatione satis confirmata videtur, quam ab Aristotele jam agnitam esse novimus, naturae lex, *ut idea praesens vel sensu vel imaginatione excitata, facile fuscitet sibi que jungat, cum similes, tum olim una praesentes ideas.* Non tamen ea caeterarum, quibus idearum consecutio regitur legum, fundamentum dicenda est.

§ V.

§ V.

Voluntatis humanae libertas ex sola cuique propria conscientia, & hac quidem unica, explicari nobis & confirmari posse videtur; temere enim conscientiam hac in re fallacem esse voluerunt olim HOME aliique.

§ V I.

Universam si contemplemur rerum naturam, si leges naturae generaliores cum universi finibus comparemus, fieri quidem aliter non potest, quin Universum perfectissimum dicamus opus, a causa perfectissima derivandum, etiamsi vim atque originem mali Physici & moralis cum hoc sapientissimorum hominum decreto in concordiam revocare possit nemo. Unde rejiciendum etiam illud ROINETI paradoxon, aequalem plane boni malique omnis generis rationem in hoc universo esse, & subsistendum adeo in prudenti THALETIS apophthegmate, mundum ut Dei opus omni vitio carere debere.

§ V I I.

Omnia Electricitatis phaenomena aequilibrii defectui tribuenda esse, illudque esse verum atque unicum omnis hujus rei fundamentum satis tuto affirmamus. Dubitamus tamen quam maxime, an aequilibrii iste defectus in vi elastica vexatissimi Aetheras reperiatur. Esse largimur materiam quandam subtilissimam, quae haec phaenomena producere possit; unicum autem fluidum admittere, tam variis Naturae usibus destinatum, & absonum esse ducimus, &, hoc in casu, phaenomenis contrarium. Ceterum cujuscunque tandem naturae sit illud fluidum, ex ipso tamen, sola aequilibrii destructione fulmen igni judicamus, rejectis omnibus aliis, quae in hoc argumento positae a multis fuerunt hypothesibus.

§ V I I I.

Quae inter meteora prope terram reperiuntur phaenomena,flammam edentia, qualis est ille Lucretii fons:

Frigidus

INAUGURALES.

*Frigidus est etiam fons, supra quem sita saepe
Stupa jactit flamas concepto protinus igni
Tedaque confimili ratione accensa per undas
Conlucet. —*

Aeri sic dicto inflammabili potius tribuimus, quam sulphuri
vel petroleo aquae innatanti, & hanc levitate superanti.

§ I X.

Quoties soni propagationem cum interrupto impetu compa-
ramus, quibus plurimi venti spirare solent; toties nos eo com-
pulsos sentimus, ut alternas illas varii impetus successiones un-
dulationibus adscribamus, atque adeo ventos ferri motu undoso
statuamus.

Nam, quae contra hanc sententiam adferuntur difficultates,
corpuscula levia in aere natantia rectâ ferri, nubes etiam recto
motu agitati, similiaque, tanti non esse videntur, ut sententiam
ex analogia deductam evertere queant.

§ X.

Quamvis praestantissimam esse censeamus numerandi artem;
summum tamen bonum ex ea, quod Pythagoras olim docuit,
acquiri,

OBSERVATIONES PHILOSOPHICAE

acquiri, animum inducere non possum ut credam. Itaque etiam si cum Aristotele in stolidis ac despicientibus habeamus Amphistiden illum, qui ultra quinarium numerum progredi non poterat, primum tamen sapientiae opus non judicamus, scire numeros, neque σοφώτατον . . . η ἐνέργεια τῆς αριθμού; quamvis Arithmeticam ipsam animum exhilarare Veteribus concedamus, ac Recentiorum labores ejus incredibilem vim & usum maxime probent.

§ X L

Geometriae principia ac fundamenta, quae spectant quantitates infinitas, si ita exhibeantur, ut omni loco *indefiniti* notio notionem occupet *infiniti*, & veluti terminus consideretur, ad quem finitum accedere nunquam possit, omnino recte se habent; si vero magnitudo, eo ipso, quia semper augmenti capax est, uti voluit FONTENELLE dicatur infinita, per quantitates istas infinitas ad absurdā quaeviis deducemur. Cum revera quantitas, cuiuscunque tandem magnitudinis ponatur, maneat semper finita.

§ XII.

§ X I I.

Mirandum omnino videtur corpora coelestia, dum haerent in horizonte majora nobis videri, quam in altiori coeli parte, cum eorum diameter in horizonte apprens potius aliquanto sit minor, ipsaque corpora aliquanto magis distent. Missis autem caeteris omnibus Philosophorum opinionibus, solis iis assenti-
m, qui omnem rei rationem ab imaginationis fallacia derivant. Lux enim a corporibus coelestibus profecta, ubi per longiorem transit atmosphaerae partem haud parum imminuitur: ad quam lucis diminutionem, cum oculorum nostrorum accedit illusio, qua planior nobis, quam pro veritate, apparet coeli figura, fieri aliter non potest, quin in aestimanda corporum coelestium magnitudine aliquantum fallamur.

§ X I I I.

Quantumvis insignis sit litterarum atque scripturae usus, eo tamen nos difficilius in percipiendis scientiarum disciplinis versari constat quo linguis addiscendis, & variis scribendi rationibus occupamur diutius. Egregie certe LEIBNITIUS, si una lin-

qua effet in mundo accederet in effectu generi humano tertia pars uitiae, quippe quae linguis impenditur, atque illaeso omni litterarum studio jure repeti potest.

*Stultum ac supinum plumbeique deliri
Relictis rebus consenescere in verbis.*

§ X I V.

Uti eloquentiae atque oratoriae artis contemtio ab homine proficisci non potest nisi exorde atque animi abjecti; ita dubitamus tamen an ea sit Eloquentiae vis, ut, quod gloriabatur olim ANTIIPHON, omnis doloris vim minuere, atque ex animo ejicere possit, omnes tamen, quae de verborum delectu, ordine, atque compositione tradi solent regulae uti elegantes sunt, & bene cogitatae ita optandum omnino, ut a quibus possunt saepius rectiusque ad usum revocentur.

¶ X V.

Quae a Veteribus artium liberalium numero inserta est DIALECTICA, dubium omnino est, quo sensu sit accepta. Plato ipsam

ipsam dicebat Metaphysicam. Stoici vero omnem intelleixerunt Logicam. Denique Peripatetici artem dixerunt, qua ex probabilibus disserimus & conjicimus. Atque ultimam hanc si accipiamus interpretationem, eximii erit usus.

Omnium autem artium ea est, quae maxime praeceptis indiget; ad quorum praescriptionem duo esse statuimus, quae nos potissimum deducant: rigidiorum demonstrationum assiduam exercitationem, & adstrictam minus cogitandi libertatem.

§ XVL

Egregie Solon τὴν μὲν τοινῦ Φυχὴν Μουσικὴν τε πρῶτον
αὐτοφίτιζομεν Quum autem triplex sit musicae distributio, harmonica, rhythmica, & metrica, jure meritoque quaeritur quid sit, quod nobis adeo placeat? Alii meram fallaciam adesse prohibent, alii in ordinis, harmoniae ac metri cognitione, rem positam esse arguunt. Verum neutrum sufficere videtur. Magna enim differentia inter rei intelligentiam & id, quod parit gaudium. Tum demum voluptate nos affici sentimus, cum eam

12 OBSERVATIONES PHILOSOPHICAE, &c.

in omni symphonia, & cantu metrorum & harmoniae rationem
observamus, quae, quamvis summo artificio excoxitata, ipsi
naturae tamen ita sit consentanea, ut statim musici scopum ex
ipso concentuum modo atque ordine facilime asequamur.